



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivrис-Peritorvm Elogia

Robertи, Johannes

Leodii, 1632

S. Hvbertvs Episcopvs Leodiensis, Gallvs, Aqvitans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

S. HVBERTVS
I. EPISCOPVS LEODIENSIS,
GALLVS, AQVITANVS.

ASSERTIO IVRISPER.

Antiquus Author vitæ Sancti
HVBERTI parte I.C.I.

HVBERTVS erat COMES PALATII.

Hic paulum h̄erendum, Lector amice, vt tibi explicem, quâ ratione, Comitem esse Palatij secum trahat, Esse IVRISCONSULTVM. Hauriam aliquid ex ijs, quæ ipse scripsi in Notis meis ad illud, cap. I. n.17. vbi ita aio :

Hi Comites in Galliâ esse solebant IVDICES Ordinarij. Itaque Gregorius Turonensis, de S. Nicetio agens, Argumentarium Comitem ait, *Lugdunensem Urbem POTESTATE IUDICIARIA gubernasse*. Carolus Magnus in Capitulari, lib. 4. cap. 5. vetat, *Comitem de Iustitia FACIENDA se excusare; iubetque ut SCABINOS suos habeat*. Vide idem Capitul.

Capitul. lib. 2. cap. 6. Hæc æquo, & eruditio homini cuiuis sufficient, vt S. HVBERTVM, PALATII COMITEM IVRISCONSULTVM fuisse, sibi persuadeat.

Iam, de eius Vitâ, Sanctitate, Virtutibus, quid ego hic multis agam, cum totam eius Historiam volumine satis ample, ante plures annos ediderim? Inde petat, cui lubebit. Quia tamen liber ille non omnibus ad manum est: pauca, & strictim ista indico:

S. HVBERTVS nobilissimâ stirpe editus, (quippe Parente vtroque è Regio Francorum sanguine, longâ serie propagato) condigno studio, & ab illis, & à sanctissimâ Matronâ Odâ, amitâ suâ, ad pietatem educatus est. Vix adoleuerat, cum truculenti illius Ebroini tyrannidem fugiens, in Austrasiam, ad cognatum Principem Pipinum venit.

Venationi dum operam dat, Crucifixi inter cerui cornua, prodigioso conpectu recreatus, & sermone instructus, Lambertum Sanctum Pontificem adit;

quo in alium virum, Deo intus operante mutatus: nihil prius habuit, quam ut a se poenas exigeret ob vitam superiorem, iuuenili licentiâ, minus ex pietate actam.

Tum eodem Numine instigante, Romam petijt, Principum Apostolorum sacra pignora veneraturus. Ibi de cari Magistri Lamberti pretiosâ morte diuinatus admonitus & ipse, & Pontifex S. Sergius, piam altercationem ineunt; dum HVBERTVM Sergius Tungensem Episcopum esse iubet, HVBERTVS indignum se eo fastigio clamitans, oblatam dignitatem refugit. Litem diremit DEI Angelus, Pontificalia Martyris Lamberti & indumenta, & ornamenta afferens: diremit & DEI Mater, prodigiosam illam stolam mittens, quæ hodieque, post octo seculorum volumina, post quotidianos ferè forficis morsus (vtar S. Paulini verbis, dum de Christi Cruce loquitur) *In materiâ insensatâ vim viuam tenens*; ita ex illo tempore, innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suum (byssum,

(byssum, aurum vè suum) commodat, vt
detrimenta non sentiat, & quasi intacta
permaneat, quotidie diuiduam sumentibus;
& semper totam venerantibus.

Sed hæc pluribus, & explicatius mihi
scripta sunt in Historiâ.

Redit cum Stolâ sanctâ Episcopus Hv-
BERTVS, & Vitam verè Episcopalem
agit; id est Virtutibus eo gradu dignis
coruscantem; quas hic non attingam, ne
longius, vel inuitus abripiar.

Post annos vitæ ferè 72. Episcopatus
31. sanctissimè moritur Christi Domini
anno 727.

Eum Miracula, & diuinitus patrata
Prodigia ita toto orbe celebrem reddi-
derunt, vt perpetuo eius, ac multiplici
cultu, ex eo tempore, multifariam pro-
pagato, vel parum Christianus censea-
tur, qui ad solum HvBERTI auditum
nomen, non tangatur religione: vel pla-
nè idiota, qui illud, eiusque gloriam
ignoret.

Obiit Anno Christi 727. 3. Nouemb.